



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

LXXXVIII. De recto usu donorum Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

## Sermones de Diversis.

735

*aromata, ut venientes ungerent* IE SVM. Sed hujus tertii unguenti non fit aliqua effusio vel perditio: quia noluit Dominus illud super corpus suum mortuum effundi, sed servari vivo corpori suo, id est Ecclesie sanctae, cui nimirum mulieres, quae cum unguentis venerant, mittuntur resurrectionem evangelizare. Primum itaque unguentum vocatur unguentum compunctionis, & absimitur igne contritionis. Secundum devotionis, & absimitur igne charitatis. Tertium vocatur unguentum pietatis, quod non absimitur, sed integrum conservatur.

Confer. serm  
de S. Maria  
Magdal.

### S E R M O LXXXVIII.

*De recto usu donorum Dei.*

Sicut de Christo duo sunt, unum nobis incognitum, scilicet generatio divina, de qua scriptum est *a: Generationem eius quis enarrabit?* alterum cognitum, ut generatio vel opera humana: ita etiam de Spiritu sancto aliud ejus nostris est mentibus occultum, scilicet, quomodo procedat à Patre & Filio, cum sit aequalis & coaeternus eidem Patri & Filio: aliud vero ipso docente manifestum, videlicet quibus modis operatur gratiam suam in nobis. Duplex quippe est operatio sancti Spiritus. Operatur enim in nobis aliud propter nos: aliud propter proximos. Propter nos, id est propter utilitatem nostram, operatur in nobis primò compunctionem, consumendo peccata. Secundò devotionem, ungerendo & sanando vulnera. Tertio creando intellectum tanquam pane confirmat nos & roborat. Quartò hæc ipsa multipliciter augendo, & amorem infundendo: quasi vino inebriat. Cætera charismata, id est sapientia, consilia & hujusmodi; dantur nobis ad utilitatem aliorum. Unde Apostolus cum de distributione donorum loqueretur *b*, non ait simpliciter: *alii dantur sapientia, alii scientia*, sed addidit dicens, *sermo scientiae: sermo sapientiae*: ut ostenderet quòd hujusmodi dona propter alios dantur, scilicet ut alii edificentur.

*a* Esa. 53. e

*Spir. S. alia operatur propter nos, alia propter proximos.*

*b* I. Cor. 12. a

In quibus operibus cavendum est duplex periculum, ne vel illa quae dantur propter nos, dividamus proximis: vel illa quae propter proximos, reservemus nobis. Si enim quae pro utilitate aliorum accepimus, retinemus tantum nobis; charitatem non habemus, & dicitur nobis *c: Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque?* Rursus si de donis Dei velimus innotescere hominibus, non Deo in occultis cordis placere, humilitatem perdimus, & meritò illa voce increpamur *d: Quid habes quod non accepisti?* Sic utroque modo periclitamur, hinc humilitatem, illinc amittendo charitatem. Et quis sine humilitate & charitate potest salvus fieri? Rectus ergo profectus nostri ordo est, ut illis donis, scilicet compunctione, & cæteris studeamus impleri primum, deinde si per gratiam Spiritus sancti cætera supercreverint, id est, sapientia & scientia, curemus illa proximis

*In donis Spir. S. cavendum, duplex periculum; seu  
c Eccl. 20. d  
lacturam  
humilitatis,  
tum charitatis.  
d I. Cor. 4. d*

*NOTA. Dona nob. propter*

Zzzz 3

partiri.



nos data non  
vulganda; Nec  
data propter al-  
ios occultanda,  
hic charitas:  
ibi humilitas  
periclitatur.

a Cant. 1. a  
b Matt. 11. d  
Osculum Pa-  
tris & Filii  
Spiritus san-  
ctus.  
c Matt. 16. c  
d 1. Cor. 2. e

e Galat. 4. b  
Per osculum  
quid sponsa de-  
sideret, nempe  
cognit. Verbi  
Dei, & verit.  
amorem.

f Matt. 7. b

partiri. Ita sanè obtinebimus illud Spiritus sancti donum, quod vocatur *disceratio spirituum*, si & ea quæ nobis tantum congruunt, nobis reservemus; & ea quæ ad aliorum utilitatem conferuntur, nobis largiamur & proximis.

## S E R M O LXXXIX.

De oculo à sponsa desiderato, id est, Spiritu sancto.

**O**sculetur me osculo oris sui<sup>a</sup>. Os Patris intelligitur Filius. Nemo autem novit Filium nisi Pater, & nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare<sup>b</sup>. At verò cuicumque fit ista revelatio, sive Patris, sive filii, non fit nisi per Spiritum sanctum. Hinc est quòd cum Petrus dixisset Domino: Tu es Christus Filius Dei vivi: ille respondit: Beatus es Simon Barjona, quod interpretatur, filius columbæ: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. Et Apostolus cum præmisisset quod oculus non vidit, & auris non audivit<sup>d</sup>, & cætera: statim subjunxit, nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Videtur ergo sponsa gratiam habere Spiritus sancti, per quam cognoscat Filium æqualem Patri. Nec dicit, *osculetur me ore tuo* (quod solius Filii est dicere) non cujusquam creaturæ: quippe quæ nullo modo potest esse æqualis Patri, sed *osculo oris sui*. Porro osculum commune est osculantis & osculati. Si igitur se invicem osculantur Pater & Filius, quid est eorum osculum nisi Spiritus sanctus?

Hoc itaque flagrat sponsa osculari, *osculetur me*, inquires, *osculo oris sui*. Hoc osculum testatur etiam Paulus eam accepisse, cum dicit e: *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem Abba Pater*. Hoc osculum pollicebatur, & ipse Salvator, cum ad instantiam orationis exhortaretur discipulos. *Si vos, inquit, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cælis est dabit bona, id est Spiritum bonum petentibus se?* Ex hujus osculi impressione suscipit anima rationalis ab ipso sponso suo Verbo Dei cognitionem, & amorem veritatis, quæ duo quasi labia imptimit ei ipsa Dei virtus & Dei sapientia. Siquidem sapientia cognitionem, virtus confert amorem. Habet & ipsa anima similiter duo labia, quibus osculatur sponsum suum, id est rationem & voluntatem. Rationis est percipere sapientiam, voluntatis virtutem. Si sola ratio percipiat sapientiæ cogitationem, & voluntas non habet virtutis amorem, non est plenum osculum. Aut si sola voluntas obtineat amorem, ratio minime percipiat cognitionem, nihilominus est semiplenum. Tunc verò plenum & perfectum est, quando & sapientia illustrat rationem, & virtus afficit voluntatem.

## S E R M O LXC.

De triplici unguento, Compunctionis, Devotionis, Pietatis.

Maria